



natum sibi habens, qui orbiculum ad A foramine exiguo pertundit, ad B C epistomio arctissimè claudente instrutus, in imo denique cono plumbeo D E probè lævigato ita munitus est, ut hic orificio antliæ imo G N (Fig. præced.) exactissimè quadret: Additus est canaliculus alias parvulus G H utrinque per vius ac supernè ligno transverso instar terebræ munitus, cui vel

aviculæ insidere, vel alia quædam minutiora appendi possunt, infernè vero cochleâ instrutus quâ mediante intra foramen orbiculi A firmiter defigi queat; toto denique ambitu suo minutis foraminulis pertusus, quæ vel aërem ex recipiente in canalem A E transmittere juxtim cum foramine G, vel contrariâ viâ aquam per EG exslientem in recipiens exhaustum effundere queant.

VI. Recipientis autem vices hîc agunt campanæ duæ vitreæ I K & L M, quarum illa in summitate I foramen habet quod filum ferreum etiam robustius possit admittere, altera verò prorsus clausa est, utræque interim ambitu seu margine imo, qui orbiculo A paulò minor est, accuratè complanatae & expolitæ. Harum alterutra orbiculo seu mensulæ orichalceæ suprà descriptæ & antliæ decenter operarum cochlearum firmiter insertæ, superimponitur mediane annulo coriaceo N O, aquâ vel oleo aut aliâ pinguedine prius illito, suppositis priùs objectis iis circa quæ experiri quid in